Lycien.

1 *Eme, & Rme Dne.* IAm probè ſenſerunt Domini contrarii Defenſores, quod, ſuppoſita Monaſteriorum ſubiectione RR. PP. Principalibus, omnia Dubia fauore eorundem Patrum reſoluenda ſunt ad præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum, Decretorumque huius Sacræ Congregationis, ideoque aggreſſi ſunt nouam, arduamque Prouinciam, demonſtrandi videlicet, quod antedicta Monaſteria ſubiecta minimè ſint Patribus Prædicatoribus, ſed ſub natiua Epiſcopi Iuriſdictione remaneant. Prætereaque ad conciliandam huic Cauſæ inuidiam [vti mos eſt eorum, qui malum ius fouent] perſuadere conantur, Religioſos Principales malè verſari in eorundem Monaſteriorum regimine, pluresque abuſus ab eis committi; Sed neutrum quoquo modo ſubſiſtit.

2 Non quidem primum, quod Monaſteria ſint ſub Iuriſdictione Reuerendiſſimi Epiſcopi. Conſtat enim in facto, quod iam inde vſque à tempore non centum duntaxat annos, ſed quamcumque hominum memoriam excedente Monaſteria, de quibus agitur, ſteterunt ſub omnimoda Patrum Prædicatorum Iuriſdictione, quos Moniales, vti ſuos Ordinarios Superiores, ſemper agnouerunt. Hæc autem centenaria, atque immemorabilis obſeruantia ſola per ſe exuberat, nedum ſufficit ad probandam omnimodam Monialium exemptionem à Iuriſdictione Epiſcopi, earumque reſpectiuè ſubiectionem curæ, regimini, & gubernio Patrum Prædicatorum; Nemo quippe non ſcit, conſuetudinem centenariam, atque immemorabilem ſecumferre præſumptionem cuiuſcumque melioris, ac potioris tituli cuius vigore Eccleſia, ſiuè Monaſterium ab ordinaria Epiſcopi Iuriſdictione exemptum, & alterius poteſtati ſubiectum dici queat, non obſtante quacumque contraria Iuris diſpoſitione, ad *text. in cap. Auditis de præſcript., cap. cum inter de Sentent., & re iudic., & cap. Cum perſonæ 7. de Priuil. in 6. Tamburin. de Iur. Abbat. tom. 1. diſput. 15. quæſt. 9. ex num. 9. ad 16., cl. me. Card. de Luc. de Iuriſdict. diſc. primo ex num. 25. ad plur. ſeq. Rot. in rec. deciſ. 203. num. 13. par. 7., deciſ. 197. num. 16. part. 8. deciſ. 274. num. 7. part. 17., cor. Dunozet. iun. deciſ. 988. num. 4. & dec. 1007. num. 6., cor. Molin. deciſ. 966. num. 28., & plur. ſeqq., cor. cl. me. Card. Falconer. tit. de Offic. Ordin. deciſ. 2. num. 12., & in Bricτinorien. ſeu nullius Foropompilien. Iuriſdictionis 18. Aprilis 1725. §. Spectata cor. bo. me. Cerro.*

3 Enimverò centenaria iſthęc, atque immemorabilis conſuetudo in dubium reuocari minimè poteſt, cum ea luculentèr emergat

Digitized by Google

ex plurimis ineluctabilibus documentis ; Et primo quidem ex tribus antiquiſſimis Monitorijs A. C. quorum primum expeditum fuit anno 1570., in quo enunciatur, quod Moniales duorum Monaſteriorum *ſemper vixerunt, morarunt, ac hodie viuunt, & exiſtunt ſub regula, cura, gubernio, & protectione, & adminiſtratione Fratrum, ſiue Superiorum dicti Ordinis* = *Summar. præſentis Reſponſionis num.*1. ſecundum anno 1573., in quo exprimitur, quod *tam de iure, quàm EX ANTIQVA CONSVETVDINE, ET IMMEMORABILI OBSERVANTIA &c, omnimoda cura, & regimen. Monialium, & Monaſteriorum &c. ſpectet, & pertineat ad Superiores, Fratreſque dicti Ordinis* = *d. præſenti Summario num.*2.; Ac denique Tertium expeditum fuit anno 1601., in eoque habetur, quod antedictorum *Monaſteriorum adminiſtratio tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ad Fratres Prędicatores Ordinij S. Dominici, & ad R. Priorem Monaſterij Ciuitatis Lycienſis omnino ſpectet, ac pertineat* = *d. Summario num.*3.

4 Ex his itaque Monitorijs emergit concludentiſſima probatio centenariæ, atque immemorabilis obſeruantiæ fauore RR. Patrum Principalium, non ſolum quia iſti ſunt actus excedentes metam vnius ſæculi, eoque ampliùs, verùm etiam quia in eiſdem actibus enunciatur antiquiſſima, & immemorabilis conſuetudo, quæ iam tum vigebat. Quæ quidem antiqua enunciatiua antiquiorem ſupponens conſuetudinem ſuperabundat ad probandam centenariam, immo verò immemorabilem obſeruantiam vt in ſpecie firmauit *Trobat. de effect. immemorab. quæſt.*12. *num.*61. *cl. me. Card. de Luc. de benefic. diſc.*32. *num.*7., *& in adnotat. ad Concil. Trident. diſc.*11. *num.*17., *Piton. diſcept. Eccleſ.*113. *num.*13., *& diſcept.*156. *num.*19. *tom.*4., *Rot. in rec. deciſ.*168. *num.*37., *& ſeq. part.*10., *in Tyburtina Decimarum* 22. *Ianuarij* 1725. §. *Parochum cor. cl. me. Card. Corio* ibi = *Animaduertendo potiſſimum, quod idem antiquiſſimum Caſtrum vtitur verbo* = *SI SVOLE* = *quod ad vllum principium non coarctatum denotat ſolitum vſque tunc vetuſtiſſimum, & ſine memoria* = *In Tiburtina ſucceſſionis, ſeu recadentiarum* 9. *Decembris* 1716. §.13. *cor. bo. me. Criſpolto, &* 17. *Iunij* 1729. §. *Strictè enim cor. cl. me. Card. Corio, & in Aretina* 6
Plebaniæ 7. *Martij* 1738. §.4. *cor. Reuerendiſſimo Calcagnino*.

5 Et quamuis agatur de enunciatiuis, nihilominus iſtæ pleniſſimè probant, tum quia emiſſæ ſunt in actibus ſerijs, atque proportionatis ex animaduerſis per *Spad. conſ.*13. *num.* 4. *lib.* 3., *Rot. coram Coccin. deciſ.*229. *num. primo, in recen. deciſ.*444. *num.*2. *part.*14., *in Leodien. Beneficii* 8. *Iunii* 1733. §. *Eoque coram Eminentiſſimo Rezzonico, & in Aretina Plebaniæ* 7. *Martii* 1738. §. 2. *coram Calcagnino*; tum etiam quia antiquiſ-

ſimæ

Digitized by Google

ſimæ ſunt, & iam à centum ſeptuaginta retro annis emiſſæ ad tradita per *Rot. coram Cerr. deciſ.886. num. primo*, *coram Merlin. deciſ. 625. num.6.*, *coram Dunozet. Iun. deciſ. 911. num.7.*, *& ſeqq.*, *in recen. deciſ.492. num.3. par.2.*, *dec.276. num. prima par.4. tom. primo*, *deciſ.438. num.6. par.5. tom. primo*, *deciſ.347. num. 9. par. 11.*, *& in Pręneſtina Rectoria S. Laurentii 4. Decembris 1733. §. Verum etiam coram R.P.D. de Peralta.*

6 Ad hæc accedunt celebrationes contractuum à Monialibus expletæ cum præſentia, & auctoritate Superioris Regularis Monaſteriorum, vt præſertim liquet ex duobus antiquiſſimis Inſtrumentis anno 1586., & anno 1595. exaratis dicto *Summario num.4.*, *& 5.*. Quibus adduntur geminæ Notariorum atteſtationes, quibus comprobatur, omnes contractus, omniaque Inſtrumenta fuiſſe à Monialibus celebrata, auctorantibus, adſtantibuſque Superioribus Regularibus noſtri Conuentus Lycienſis, vt in dicto præſenti *Summario num. 6.*, *& 7.*, & præterito *Summ. num.2. litt.B.C.*; Ex hiſce autem actibus robuſtiùs confirmata remanet omnimoda Monaſteriorum ſubiectio tam in ſpiritualibus, quàm etiam in temporalibus erga RR. PP. Principales, vt in puncto firmat *Rot. in recen. deciſ.546. num.8. par.5. tom.2.*

7 Rurſus inter alios actus vniuocè comprobantes, quod hæc duo Monaſteria ſint ſub iuriſdictione Patrum Prædicatorum, animaduerſione digna eſt confirmatio Prioriſſæ, quæ pertinet ad P. Prouincialem, ab eoque perpetuò expleta fuit dicto præſenti *Summ. num.8.*. Huic etiam adſtipulatur, quod P.Priori Conuentus Lycienſis committi ſemper conſueuit auctoritas, atque Iuriſdictio ſuper antedictis duobus Monaſteriis tam in ſpiritualibus, quàm etiam in temporalibus dicto præſenti *Summario num.9.*, & præterito *num. 2. litt. A.*; Nec leuioris ponderis eſt viſitatio eorundem Monaſteriorum à Patribus Prouincialibus pro tempore fieri ſolita præſenti *Summar. num.10. & Summ. præterito num.2. litt. A. & n.4.*

8 Sicuti enim hæc omnia fieri non poſſent, niſi Monaſteria ab Epiſcopi iuriſdictione exempta eſſent, ac ſub Religioſorum Principalium iuriſdictione exiſterent, ita contra apertiſſimam veritatem pugnare videtur, quicumque è conſpectu huiuſmodi actuum velit quoquo modo in controuerſiam adducere ſuperioritatem, iuriſdictionemque Religioſorum Principalium ſuper hiſce Monaſteriis, vt per *Text. in cap. fin. de Stat. Monachor.*, optimè aduertunt *Roderic. quæſt. Regular. tom. primo quæſt. 36. art. 3. §. Primum Argumentum*, *Lezan. in Summ. quæſt. Regular. tom.2. par.3. verb. Viſitator Regularis num. 7. & tom.4.*, *conſult.4. ex num.13. ad plur. ſeqq.*, *Rot. poſt Tamburin.*

Taurin. de Iur. Abbat. deciſ. 68. num. 2., in recen. deciſ. 483. num. 8. par. 19., in Conſtantien. Iuriſdictionis ſuper bono iure prima Iulii 1718. §. 24. coram bo. me. Anſald., & in Cracouien. Iuris Viſitandi 12. Iunii 1719. §. Quod enim coram bo. me. Gamachei, & indiuiduo *dicta deciſ. 546. num. 9., & ſeqq. part. 5. rec. om. 2.*

9 Sed quid opus eſt pluribus? Quando habemus apertiſſimam diſpoſitionem Synodi Lycienſis anno 1663. celebratæ, in qua diſertè admittitur, quod hæc duo Monaſteria ſint ſub cura Patrum Prædicatorum *Summario noſtri Restrict. 1. num. primo*; 3
Cui ſanè Conſtitutioni Synodali ſtandum omninò eſt, cum in Diæceſi vim peculiaris legis obtineat, vt per *Text. in cap. 2. de Conſtitut.* admonent *Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 93. num. 23., Tondut. quæſt. Benefic. part. primæ cap. 11. num. primo, Rot. coram Buratt. deciſ. 852. num. 4, coram Emer. Iun. deciſ. 740. num. 9., in recen. deciſ. 484. n. 6. par. 19., & in Mediolanen. Iurium Parochialium 23. Aprilis 1708. §. Conſtabilita ex. cl. me. Card. Scotto.*

10 Augeſcitque in immenſum probatio ex eadem Synodali Conſtitutione dimanans, animaduertendo, memoratam Conſtitutionem editam fuiſſe ab Epiſcopo, ſicque præſeferre clariſſimam confeſſionem ipſiuſmet Partis aduerſæ circa Monaſteriorum, de quibus agitur, ſubiectionem Patribus Principalibus. Et revera innumeri propemodum proferri poſſent actus, in quibus Epiſcopi omnes faſſi fuerunt, ac pro certo ſuppoſuerunt duo noſtra Monaſteria exiſtere ſub cura, ac regimine Patrum Prædicatorum, ſed, hiſce prætermimiſſis, ſatis eſt reſpicere ad *Dubia* à Partibus in præſenti Cauſa concordata, & à Reuerendiſſimo P. D. Secretario ſubſcripta, quæ certò præſupponunt eorundem Monaſteriorum ſubiectionem Religioſis Principalibus, vt ſtatim apparet ex ipſo primo *Dubio*, quod ita ſe habet = *An Epiſcopus viſitans Clauſuram Monialium REGVLARIBVS SVBIECTARVM ingredi poſſit cum Piuuiali, & Stola* = & huius ferè generis ſunt reliqua Dubia. Quare audienda non eſt Pars Aduerſa, quæ hodie impugnare vult Patrum Principalium iuriſdictionem, quam toties, totieſque approbauit, vt per *Text. in leg. cum precum Cod. de liberal. cauſ.* animaduertunt *Spad. conſ. 58. num. 11. lib. primo, Rot. in rec. deciſ. 94. num. 24. par. 7., coram Emer. Iun. dec. 275. n. 19., & cor. Molin. dec. 966. n. 21.*

11 His probè conſtitutis, inutiliter exaduerſo in medium affertur Iuris aſſiſtentia, ſiue diſpoſitio tribuens Epiſcopo Iuriſdictionem in omnia ſuæ Diæceſis Monaſteria; Hæc enim Iuris diſpoſitio eliſa remanet, tum ex priuilegiis exemptionum, quibus potiuntur Monaſteria inclyti Ordinis Prædicatorum, aliorum-

que

Digitized by Google

que complurium Ordinum Regularium, vti teſtatur *Roderic. in Summ. quæſt. Regular. tom. primo quæſt. 55. art. 13.*, *Tamburin. de Iur. Abbatiſ. diſput. 17. quæſt. prima num. 4.*, *& ſeqq.*, *& Lezzan. oper. Regular. tom. 3. in comment. Bullæ aureæ num. 7.*, *& in Comment. Mar. magn. Carmelit. num. 384.*, vbi quod, licèt de Iure communi Monaſteria Monialium, ſicut & illa virorum ſubiecta ſint Ordinariorum iuriſdictioni, nihilominus propter ſpecialia Sedis Apoſtolicæ priuilegia ſubijci ſolent Prælatis eiuſdem Religionis, idque in ſpecie affirmat de Monialibus Ordinis Prædicatorum.

12 Tum etiam ex antiquiſſima, & immemorabili obſeruantia, quæ, vt ante diximus, ſecumfert præſumptionem cuiuſcunque validioris tituli, cuius vigore Moniales exemptæ perpetuò maneant à iuriſdictione ordinaria Epiſcopi; Vt proinde in his terminis inallegabiles prorſus ſit iuris diſpoſitio, qua Epiſcopus nititur, prout per *Text. in Cap. Cum dilectus de Religioſ. Domib.* admonent *Pignattell. conſult. Canon. 85. num. 10. tom. 5.*, *Rot. cor. Duran. deciſ. 21. num. 6.*, *in Burgen. Iuriſdictionis*, *ſeu Viſitationis 3. Iulij 1713. §. Atque hinc cor. Barbadico*, *& in Vicen. Iuriſdictionis 31. Martij 1732. §. 3. cor. R. P. D. Millino*. Hodie enim Epiſcopi non aliter ſibi vindicare poſſunt omnimodam Iuriſdictionem in Monaſteria Monialium, quàm vbi iſta vel nullo gaudent exemptiones priuilegio, quo caſu Epiſcopus vti poteſt ſua plenaria, & ordinaria Iuriſdictione, vel ſunt immediatè ſubiecta Sedi Apoſtolicæ, nullique ſubduntur Prælato Regulari; in qua ſanè hypotheſi Epiſcopus ex diſpoſitione Sac. Concil. Tridentini exercere poteſt ſuam iuriſdictionem iure delegato ex diſpoſitione Sacri Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 9.*, vt optimè aduertunt *Tamburin. de Iur. Abbatiſ. diſput. 14. quæſit. primo num. 17.*, *& Eminentiſſimus Petra in Commentar. ad Conſtit. 18. Eugen. IV. num. 5. tom. 4. pag. 552.*

13 Infeliciter autem ad probandam noſtrorum Monaſteriorum ſubiectionem Epiſcopali iuriſdictioni Domini contrarij Defenſores recurrunt ad aſſertionem cuiuſdam Hiſtorici Lycienſis; Nam Auctor iſte recenſeri non debet inter antiquos, & claſſicos Scriptores, cum ipſe Hiſtoriam ſcripſerit non ante annum 1634. prætereaque vti Parochus, adeoque Epiſcopo ſubiectus, ex naturali quadam affectione inductus cenſetur ad ampliandam ſui Ordinarij iuriſdictionem, ſicque fidem non meretur, vt admonet *Rot. in Tridentina Archipresbyteratus 3. Februarij §. Profectò cor. Rmo P. D. Calcagnino*. Tantoque magis, quòd ſubiectio Monaſteriorum Patribus Prædicatoribus iam inde ab immemorabili tempore probata clariſſimè fuit ex publicis

 docu-

Digitized by Google

documentis ſupra recenſitis, quæ prævalent cuiuſcumque Hiſtorici aſſertioni, vt dixit *Rot. cor. Arguell. deciſ. 17. num. 18. verſ. Tertiò quia, & coram cl: me: Card. Falconer. tit. de offic. Ordinar. deciſ. 2. num. 25.*

14 Quin etiam aſſertio huiuſce Hiſtorici nihil omnino confert ad probandum contrarium aſſumptum; Nam præterquamquòd iſte loquitur de vno tantùm Monaſterio, nempe de illo Sanctiſſimæ Viſitationis nuncupat. *delli Chetri*, ſolùmque affirmat, quòd ſub initium fundationis, ac poſtea per plures annos ſtetit ſub iuriſdictione Epiſcopi, ſicque ſupponit translatum ſubinde fuiſſe in Iuriſdictionem Patrum Prædicatorum. At etiamſi conſtaret de primæua ſubiectione fauore Epiſcopi, id tamen nihil officeret hoc ipſo, quòd adeſt poſterior pluſquam centenaria obſeruantia, quæ nullo modo eliditur, neque labefactatur ex actibus ante illam exercitis, prout optimè firmat *Rot. coram cl: me: Card. Falconer. tit. de vnion. deciſ. 6. num. 16., in Vladislauien., ſeu Gedanen. Parochialitatis 30. Iunii 1719 §. Vel in omnem cor. bo: me: Foſcaro, & in Vrgellen. Vicariæ S. Saturnini de Arſa 4. Maij 1731. §. Nullum coram R. P. D. Millino.*

15 Æquè inutiliter obijcitur, quòd hæc Monaſteria non ſint deſcripta in libro Monaſteriorum Ordinis, quodque nullam ſoluant Collectam Rm̃o Pat. Generali; In primis enim falſiſſimum eſt, quòd hæc Monaſteria deſcripta non reperiantur in Libro Monaſteriorum, quando contrarium apertiſſimè oſtendit atteſtatio Pat. Secretarij Ordinis affirmantis, hæc ipſa Monaſteria adnotata reperiri in numero aliorum, quæ ſubiecta ſunt Religioni Ordinis Prædicatorum, *vt in dicto Summario num. 11*, ſolutio autem Collectæ, quæ non à ſingulis Monaſteriis, ſed à tota Prouincia fieri ſolet, non eſt neceſſarium requiſitum ad conſtituendam ſubiectionem *dicto Summario num. 11. in fin.*

16 Prout etiam non ſubſiſtit, quod Epiſcopus ſemper conſueuerit deputare Procuratores, ſiue Adminiſtratores, qui curam gererent Bonorum Monaſterii, nec non Sacerdotes, qui cuſtodiæ clauſuræ preeſſent. Quod enim ſpectat ad Procuratores, ſiue Factores, certiſſimum in facto eſt, quod ante annum 1601. Adminiſtratores omnium Monaſteriorum Ciuitatis Lycienſis deputabantur à Magiſtratu Seculari, vti teſtatur *Nicol. in Floſcul. verb. Magiſtratus num. 2.*, qui tamen Adminiſtratores debitam ſeruabant dependentiam à Superioribus Regularibus quoad hæc duo Monaſteria *Summario noſtri Reſtrictus num. 2. litt. D., & præſenti Summario reſponſionis num. 4., & num. 5. litt. A.* ibi = *E coll'interuento ancora del Nobile Carlo de Lizza*

G

Eco-

Digitized by Google

Economo di detto Monaſtero, perſone eletta per l'Vniuerſità della Città di Lecce.

17 Deinde verò, adempta Magiſtratui œconomica Monaſteriorum adminiſtratione, Superiores Regulares noſtrorum Monaſteriorum continuarunt primæuam auctoritatem, ac ſuperioritatem in œconomica adminiſtratione, & coram ipſis reddita ſemper fuit ratio à Procuratore Laico, *vt in Summario noſtri Reſtrictus num.2. litt.G.*, ſolumque à recentiori tempore conſueuerunt nominari à Monialibus ſex Sacerdotes cum conſenſu, & approbatione Superioris Regularis, ex quibus vnus ab Epiſcopo eligitur, qui officium Procuratoris, ſiue adminiſtratoris exerceat, *Summario noſtri Reſtrictus num.2. litt F.*

18 Si verò ſermo ſit de cuſtodia clauſuræ, illud quoque exploratum eſt, quod claues Monaſteriorum vſque ad annum 1611. retentæ ſemper fuerunt à Magiſtratu Lycienſi, ſed cum eodem anno 1611. opera, & ſtudio Epiſcopi Spina recuperatæ fuerint è manibus Laici Magiſtratus, hinc idem Epiſcopus ſibi licere exiſtimauit, deputare Sacerdotes Clauſuræ præpoſitos tàm in Monaſteriis ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis, quàm etiam in aliis ſub poteſtate Prælati Regularis exiſtentibus, atque hinc factum eſt, vt alii Succeſſores Epiſcopi illius exemplum hac in re fuerint ſecuti, prout animaduertimus in noſtro Reſtrictu §.7., *&* 8.

19 Quicumque autem fuerint huiuſmodi actus ab Epiſcopo geſti, hiquidem officere nullo modo potuerunt iuriſdictioni, ac poteſtati Religioſorum Principalium, quæ in hiſce Monaſteriis iam inde vſque ab immemorabili tempore exerceri ſemper conſueuit, & ad hanc vſque diem continuata fuit tàm in ſpiritualibus, quàm etiam in temporalibus, quemadmodum, generalibus omiſſis, in puncto aduertit *Rot. in Marſicana Iuriſdictionis cor. Comitol. impreſ. apud Lezan. oper. Regular. tom.4., poſt. conſult.45. deciſ.83. num.20.*. Eoque magis quod agitur de conſeruanda iuriſdictione fauore Superioris Regularis, qui habere dicitur veram ordinariam iuriſdictionem in Monaſteriis Monialium ſibi ſubiectis, ex firmatis per *Mirand. in Manual. Monial. quæſt.5. n.2., Roderic. quæſt. Regular. tom.1. quæſt.17. artic.8., Tamburin. de Iur. Abbatiſſ. diſput.14. quæſt.4. per tot., & Emus Petra ad conſtit. Apoſtolic. tom.4. pag.572. num.3.*

20 Nec ſilentio prætereunda eſt altera illa animaduerſio, quod, cum in poteſtate vel Prælati Regularis, vel Monialium non ſit ſe ſe ſubiicere iuriſdictioni Epiſcopi, atque exemptioni vel ex priuilegio, vel ex conſuetudine immemorabili quæſitæ renunciare, hinc nedùm ſimplex acquieſcentia, ſed ne actus quidem

Digitized by Google

poſitiui in præiudicium propriæ exemptionis, iuriſdictioniſque geſti illis nocere nequiuerunt, atque ius aliquod Epiſcopo tribuere, vt latè in puncto probant *Lezan. oper. Regular. tom. 4. conſult. 4. per tot.*, *Eminentiſſimus Petra*, vbi proximè *num. 5. fol 572. & ſeqq.*, *Rot. coram Coccin. deciſ. 1604. num. 3.*, *& plur. ſeqq.*, *& ex num. 1. ad fin.*, *& poſt Tamburin. de iur. Abbat. deciſ. 81. per tot.*

21 Iam verò his omnibus conſtabilità, & à contrariis exceptionibus vindicata iuriſdictione Patrum Prædicatorum ſuper duobus hiſce Monaſteriis, ſequitur, vt reſpondeamus ad aſſertos abuſus, quos Pars aduerſa commiſſos iactitat ab eiſdem Patribus in ipſorum Monaſteriorum regimine. Primò itaque opponit, Patrem Priorem propria auctoritate conceſſiſſe licentiam Iudici, Notario, ac Teſtibus ingrediendi clauſuram ad conficiendum Inſtrumentum donationis, quæ à quadam Puella infirma fieri debebat.

22 At huiuſmodi factum ab omni culpa purgatum remanet, ſi tempus conſideretur, quo hæc geſta fuerunt. Id enim accidit *die 19 Septembris* 1732., tunc cum in Ciuitate Lycienſi nondum publicata fuerat conſtitutio *Romanus Pontifex* paulo ante edita, qua reuocabantur priuilegia Patribus Dominicanis paucos ante annos conceſſa in conſtitutione *Pretioſus*. Et hoc vſque adeo verum eſt, vt per id tempus claues Monaſterii adhuc retinerentur à Superiore Regulari, non autem à Cuſtodibus Clauſuræ ab Epiſcopo electis, qui alioquin non permiſiſſent ingreſſum ſine licentia Epiſcopi; Atque hinc Epiſcopus abſtinuit à ferendis cenſuris contra Priorem, Notarium, alioſque, qui Rei violatæ clauſuræ ſupponuntur.

23 Rurſus obiicitur exaduerſo, quod Patres Principales publicauerint edicta circa clauſuram; quod confeſſiones Monialium ſine licentia Epiſcopi audierint, quodque alios Regulares ad eas audiendas propria auctoritate deputauerint, & ad colloquia cum Monialibus habenda ablegauerint. Sed primò non ſubſiſtit aſſerta edictorum publicatio, cum ordinationes à Superioribus editæ pro Monialibus recitatæ ſolummodo fuerint in Refectorio, in eoque affixæ, prout & in Sacriſta interiori, nunquam autem in Colloquutorio, aut in alio loco exteriori.

24 Multoque minùs ſubſiſtit, quod Patres audierint confeſſiones ſine Epiſcopi licentia, ſi ſolùm excipiatur tempus illud, quo vigebat conſtitutio *Pretioſus*, ob nondum ſequutam Bullæ reuocatoriæ publicationem, prout illa adhuc vigebat in Ciuitate Lycienſi die 3. *Decembris* 1732., qua Patres Fringella, & Marzolla adiuerunt Vicarium Generalem, eique ſignificarunt ſe ſe habuiſſe literas patentes ſuorum Superiorum ad audiendas

Digitized by Google

das Confeſſiones Monialium; cumque Vicarius Generalis Bullam reuocatoriam tunc non publicaſſet, hinc optimi Religioſi munus Confeſſariorum exercuerunt, ſequutaque poſtmodum eiuſdem Bullæ publicatione, ſtatim abſtinuerunt. Atque ideo bon. mem. Epiſcopus Fabritius Pignattellus non modò nullas pœnas inflixit, ſed & Proceſſum ipſum lacerauit, *præſenti Summario num.* 12.

25 Tandemque omnium falſiſſima eſt aſſertio illa, quòd Patres Principales deputauerint alios Regulares ad audiendas Monialium confeſſiones, quodque Religioſos miſerint ad colloquendum cum illis, neque vlla huiuſce calumniæ probatio in contrario Summario affertur.

26 Rurſus in contrario Reſtrictu §. 6. Pat. Prior Conuentus S. Ioannis de Aymo reus alterius criminis decantatur, quòd nempe Abbatiſſam Monaſterij Viſitationis excommunicatam declarauerit. Sed hoc factum, quod vtique ſi verum foret conſtare deberet ex Proceſſu Curiæ Epiſcopalis, non aliunde elicitur, quàm ex atteſtatione Procuratoris, qui nullam omnino fidem meretur, tum quia eſt unicus Teſtis deponens de auditu ab vna tantùm Moniali, tum etiam quia plures refert huiuſce fabulæ circumſtantias inueriſimiles, immo verò incredibiles, inſpecta potiſſimùm grauitate, ac prudentia illius Prioris, qui ob eius inſignia merita confirmatus in eo munere fuit.

27 Præterea accuſantur Religioſi, quòd contra Epiſcopi præſcriptum colloquia habuerint cum Monialibus, quando ex documentis exaduerſo productis apertè liquet, quòd ab exploratoribus Rmi Epiſcopi, qui aſſiduè morantur in noſtrarum Monialium Eccleſijs ad earum facta inquirenda, toto ſexennij tempore, quo modernus Rmus Epiſcopus Eccleſiam Lycienſem moderatus fuit, vix duo deprehendi potuerunt Religioſi colloquentes cum Monialibus, ſeu veriùs vnus duntaxat, cum alter per ſimplices nutus gratias egerit de potione cocolatis ab eiſdem Monialibus elargita. Prout etiam bis tantùm Confeſſarius Monialium deprehenſus fuit non iam colloquium habens cum Monialibus, ſed cum ipſis Officium recitans. Falſiſſima eſt autem altera contraria aſſertio, quòd Confeſſarius ingredi conſueuerit clauſuram in caſu obitus alicuius Monialis, cum ſolùm ingreſſus fuerit ad miniſtranda Infirmæ Sacramenta.

28 Vident igitur Eminentiſſimi Patres, num probata ſint grauia illa crimina, & exceſſus, quorum cauſa Monaſteria ſubtrahenda ſint à Iuriſdictione Inclyti Ordinis Prædicatorum, quaſi ſcandala, ſi quæ ſint, prouenirent à Superiorum regimine, qui quantum in ipſis eſt, omnem adhibent curam, omnemque diligentiam in recta Monialium diſciplina cuſtodienda, prout ſatis apertè oſtendunt tum acta Viſitationis à Pat. Prouinciali

Digitized by Google

expletę, de qua in præſenti *Summario dicto num.* 10. tum etiam methodus ſeruari ſolita à Pat. Priore Conuentus S. Ioannis de Aymo vti Monaſteriorum Vicario, vt in d. præſenti *Summ. num.* 13.

29 Vtinam hæc ipſa agendi ratio ſeruaretur à Reuerendiſſimo Epiſcopo, & à cuſtodibus ab ipſo Clauſuræ præpoſitis? Ita enim tot arcerentur grauiſſimi abuſus, quot ex eorum facto irrepſerunt in Religioſa diſciplina, proùt vel inuiti probare cogimur per documentum relatum in præſenti *Summ. num.* 14.. Quibus ſanè malis in perniciem Regularis obſeruantiæ, & cum Secularium offenſione gliſcentibus opportunum remedium afferre partes erunt huius Sac. Congregationis, eo quod Patres Principales in Miniſtros ab Epiſcopo Selectos nullam habent poteſtatem.

30 Omittere autem conſultò poterant Domini contrarij Defenſores, quod Pater confeſſarius, eiuſque Socius ex defunctæ Monialis ſpolio accipere quandoque ſoleant Breuiarium, atque linteolum, aut eorum vice ſex ducatos, quatuor vnus, ac duos alter. Hæc enim cedunt in partem Salarij ipſis debiti, cum pro laborioſo munere audiendi Confeſſiones tot Monialium, eiſque Sacramenta miniſtrandi recipiant exiguam planè ſummam ducatorum duodecim.

31 Nec certè quidem tanta cum moderatione ſe gerit Curia Epiſcopalis in recipiendis muneribus pro actibus, atque functionibus, quæ in noſtris Monaſterijs peragi ſolent. Nam Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus, cum bis ingreſſus fuerit Clauſuram vnius Monaſterij ad inuiſendam fabricam recepit ſalmam Olei vna cum alijs muneribus d. præſenti *Summ. d. n.* 14., quæ omnia ſimul conflabant valorem ducator. 18. eoque ampliùs d. præſenti *Summ. num.* 15.. Ad hæc idem Reuerendiſſimus Epiſcopus in electione Prioriſſæ percipere etiam ſolet ſalmam olei, quæ nunc 10., nunc 15., nunc 18., & 20. etiam ducatis valet iuxta pretij varietatem, præter alia munera inſignis valoris, atque horum omnium dimidiam ab eadem Prioriſſa conſequitur Vicarius Generalis Epiſcopi; itemque ſimilis olei ſalma, ſimiliaque munera Epiſcopo, ac proportionabiliter Vicario præſtari ſolent tum pro exploratione voluntatis puellæ, quæ habitum religioſum ſuſceptura eſt, tum etiam pro veſtitione, ac profeſſione, præter alia munera, ac ſtrenas, quæ familiaribus, ac famulis Reuerendiſſimi Epiſcopi præbentur, quando certum in facto eſt, quod bo. me. Epiſcopus Pignattellus pro exploratione voluntatis puellæ vnum tantum aureum recipere ſolitus fuit, quem poſtea conſcientiæ ſtimulis adactus ſingulis reſtituit, proùt hæc omnia probantur ex com-

plu-

Digitized by Google

plurium Monialium atteſtatione, de qua in præſenti *Summario num.* 16.

DVBIVM I.

32 Sed iam tempus eſt propriùs accedendi ad peculiare *Dubiorum* examen, confutandique futiles contrarias exceptiones. Et profectò ad primum ſine vlla prorſus hæſitatione reſpondendum eſt *negatiuè*; Nam quidquid ad opportunitatem dicatur in contrario Reſtrictu, ita in puncto puncti reſpondit hæc ipſa Sacra Congregatio *die* 29. *Iulij* 1684. *in Florentina Iuris Viſitandi in Reſponſ. ad III.*

33 Nec applicatur Decretum *die* 7. *Iulij* 1724. editum in *Nucerina Paganorum*, quia ibi agebatur de Rocchetto, & Mozzetta, qui eſt ordinarius, ac præcipuus habitus Epiſcopi in tota ſua Diœceſi iuxtà Cæremoniale Epiſcoporum, quemadmodum aduertunt *Peſcet. in Prax. Cæremon. lib.* 1. *ſect.* 10. *num.* 2., *clar. mem. Card. de Luc. in Relat. Roman. Cur. diſc.* 3. *num.* 12., & *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 37. *tom.* 1., ideoque Epiſcopus eodem habitu tamquam ſuo proprio, & peculiari ornamento vti poteſt etiam in locis exemptis ſuæ Diœceſis, vti teſtantur *Donat. rer. Regular. tom.* 1. *tract.* 13. *de exempt. q.* 74. *num.* 2. *Carol. Anton. de Luc. ad Franch. deciſ.* 711. *num.* 3. & *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 14. *tom.* 2. Nec Stola, quæ poteſt eſſe, & non eſſe ſignum Iuriſdictionis, vllam in hoc caſu præſefert iuriſdictionem, eo quod ipſius vſus coniungitur cum actu prorſus indifferenti, & cum habitu iuriſdictionem non ſignificante, proùt optimè diſtinguit *Rot. in Tranen. Præeminentiarum* 23. *Iunij* 1719. §. *Nam connexio coram bon. mem. de Gamaches impreſſ. apud Scarfanton. tom.* 3. *dec.* 4.

34 At longè aliter ſe res habet in caſu noſtro, in quo agitur de Stola iuncta cum Pluuiali, quod quidem Pluuiale non eſt habitus ordinarius Epiſcopi, ac proinde cum iuriſdictionem præſeferat, tunc etiam Stola iuriſdictionis ſignum videtur eſſe, & ob hanc rationem meritò Sac. ilthæc Congregatio cenſuit, Epiſcopum indutum *Pluuiali*, & *Stola* ingredi non poſſe Clauſuram Monialium Regularibus ſubiectarum, vt in *dicta Florentina Iuris viſitandi*, cuius proinde *Decretum* dandum eſſe in hoc primo Dubio, reſcribendum omninò eſt.

DVBIVM II.

35 Ad *ſecundum* hoc *Dubium* certò ſperamus Eminentiſſimos Patres vnanimiter eſſe reſponſuros = *Detur Decretum diei* 19. *Ianua-*

Digitized by Google

nuarij 1686. in *reſponſ. ad IV.* ſuper Dubijs Viſitationis Clauſuræ Monialium Regularibus ſubiectarum, vbi hæc ipſa Sacra Congregatio ad inſtantiam Procuratoris Generalis Fratrum Minorum de Obſeruantia reſpondit = SVFFICERE PRÆPARATIONEM STRATI = proût refert *Eminentiſſ. Petr. ad Conſtit. Apoſtolic. tom.5. fol.142., & ſeqq.* Nec ad rem facit, quod vbi Epiſcopus velit Pontificalia exercere in Eccleſiis exemptis, debeat ibidem erigi Solium cum Baldacchino; ille namque caſus longè diſtat à præſenti, in quo non agitur de exercendis Pontificalibus, ſed de ingrediendo Monaſteria Monialium Regularibus ſubiectarum ad viſitandam illorum Clauſuram.

D V B I V M III.

36 Dentur Decreta *diei* 29. *Iulij* 1684. in dicta *Florentina Iuris Viſitandi in reſponſ ad IV.*, & *diei* 19. *Ianuarii* 1686. in altera Cauſa ſuper Dubijs Viſitationis Clauſuræ in *reſponſ. ad VI.*, reſcribere rogantur Patres Eminentiſſimi, non obſtantibus exaduerſo deductis, quia firmata ab hac Sac. Congregatione anno 723. in *Aquilana Iuriſdictionis* reſpiciunt Monachos Officiales Monaſteriorum, & Confeſſarium dumtaxat excipere, & aſſociare debentes Epiſcopum viſitantem Monaſteria Monialium eiſdem Monachis ſubiectarum, non autem reſpiciunt ipſas Moniales, quæ quidem, & ipſæ reuerenter excipere tenentur Epiſcopum, ſed *non proceſſionaliter cum Cruce, & cantico Benedictus*, vti videre licet apud Eminentiſſimum Petra *loc.* proximè *citat.*

D V B I V M IV.

37 Quemadmodùm certiſſima eſt noſtrorum Monaſteriorum exemptio ab ordinaria Epiſcopi Lycienſis iuriſdictione iuxta ſuperioribus locis ſolidiſſimè firmata, ita tutiſſima redditur huius *Dubii affirmatiua* reſolutio fauore P. Prouincialis ſecundùm clariſſimam diſpoſitionem Bullæ ſan. mem. Alexandri VII. anno 1664. promulgatæ, cuius verba tranſcripſimus in *noſtro Reſtrictu* §. 22.

38 Nilque turbant contraria illa ratiocinia, quòd nempè Conſtitutio Alexandrina literaliter non permittat Superioribus Regularibus localem ſuorum Monaſteriorum Viſitationem abſque Diœceſani Epiſcopi licentia; quòd eadem Conſtitutio non procedat in ijs Monaſterijs, in quibus viget conſuetudo impetrandi talem licentiam ab Epiſcopo; quòdque demum hæc eadem

Digitized by Google

dem Sacra Congregatione *in Tarrinen. & in Pennen.* aliàs reſpondit etiam Superiores Regulares non poſſe ſine licentia Epiſcopi ingredi Monialium ſibi ſubiectarum ſepta.

39 Nam quod attinet ad Conſtitutionem Alexandrinam, hæc quidem clarior eſt, quam vt ſubtili, minùſque vera interpretatione poſſit quoquo modo obnubilari: Et ſanè ſi præcedens Bulla ſan. mem. *Gregorii XIII.* expreſsè diſponebat, Superiores Regulares non debere à quoquam petere licentiam ingrediendi Monaſteria ſuarum Monialium, modò *in caſibus neceſſariis ingrederentur*, illud conſequens eſt, vt dum ſan. me. *Alexander VII.* Bullam Gregorianam reſtringit, declaratque, & caſum neceſſitatis coarctat ad annuam localem Viſitationem, id vtique permittere dicendus ſit pariter ſine vlla Epiſcopi licentia, prout nos iam aduertimus in noſtro *Reſtrictu* §. 22., & 23.

40 Falſiſſimum autem eſt, quòd Patres Prouinciales conſueuerint petere ab Epiſcopo licentiam faciendi localem annuam Viſitationem. Id enim non aliundè exaduerſo probatur, quàm ex informi quorundam Cuſtodum depoſitione, & ex quibuſdam licentijs, quas à quinque vel ſex duntaxat annis in priuatis illorum liberculis adnotatas, & à Vicario Generali ſubſcriptas fuiſſe ſupponitur. Sed eiuſmodi liberculi proprio marte ſcripti à perſonis ſuſpectiſſimis, vti penitus ab Epiſcopo dependentibus, & ſubſcripti à Vicario Generali fimbrias Ordinariæ Epiſcopalis iuriſdictionis extendere ſatagente, nullum vel minimum probationis gradum conſtituunt iuxta clariſſimam diſpoſitionem *Text. in leg. exemplo Cod. de probat.*

41 Potiſſimè verò quia priùs tales licentiæ conceptæ non legebantur per verba illa = *Concedemo licenza al Patre Maeſtro Prouinciale*, prout ex induſtria poſtmodùm conceptæ apparent, ſed antea concipiebantur verbis illis = *Concedemo licenza al Reuerendo Cuſtode, e Madre Priora, che aprino la Porta della Clauſura per far entrare il P. Maeſtro Prouinciale* = prout videre eſt in *contrario Summario num.3. per tot.*; quæ quidem anterior formula optimè reſpondet conſuetudini ſeruatæ cum Epiſcopo Anteceſſore Fabritio Pignattello, vt nempè, poſtquam P. Prouincialis ad formam Conſtitut. Alexandrinæ admonuerat Prioriſſam de die, & hora Viſitationis localis faciendæ; eadem Prioriſſa certiorem hac ipſa de re faceret Epiſcopum per Sacerdotem Clauſuræ Cuſtodem, qui fortaſſe pro ſui ſecuritate reportabat à Curia Eccleſiaſtica licentiam aperiendi Clauſuram, prout ita verè ſeruatum fuiſſe luculenter apparet ex noſtro primo *Summario num.* 2. §. 4., & *num.*3., & 4.

De-

Digitized by Google

42 Denique ad rem non pertinent reſolutiones editæ in *Taurinen.*, ac *Pennen.*, quippè quæ prodierunt ante præmemoratam Bullam Alexandrinam, quæ opportunum antecedentibus incommodis attulit remedium, prout nos iam obſeruauimus in noſtro *Reſtrictu* §. 21., *& ſeqq.*

D V B I V M V.

43 Sicuti in proximo ſuperiore Dubio diximus, poſſe Superiores Regulares ad formam *Conſtitutionis Alexandrinæ* facere Localem Viſitationem Monaſteriorum Monialium ſibi ſubiectarum, abſque vlla Epiſcopi licentia; ità præſens *Dubium* reſoluendum eſt *negatiuè*, hoc eſt Epiſcopum non eſſe certiorandum ab ijſdem Superioribus Regularibus de die, & hora talis Viſitationis, cum id ab eadem Alexandrina Conſtitutione non præſcribatur, ſed ſolummodò, vt admoneatur Abbatiſſa de die, & hora Viſitationis, cumque introductus ab aliquo tempore fuerit mos ille, vt Prioriſſa certiorem faciat Sacerdotem Cuſtodem Clauſuræ, ab hoc poterit Epiſcopus certiorari de die, & hora Viſitationis Localis à Superioribus Regularibus faciendæ, atque hoc contentus eſſe debet.

44 Nec eſt, cur Domini contrarij Defenſores tantum zelum pro cuſtodia Clauſuræ oſtentent. Etenim Summus Chriſti Vicarius, Supremuſque Eccleſiæ moderator Alexander VII. maiori certè flagrare debebat zelo, & tamèn permiſit Superioribus Regularibus, vt abſque vlla Epiſcoporum licentia ſemel in anno viſitare poſſent Monaſteria Monialium natiuæ, ac Ordinariæ ſuæ iuriſdictioni ſubiectarum.

D V B I V M VI.

45 Videant quæſo Patres Eminentiſſimi, quonam ſpiritu Cauſa iſthæc exaduerſo defendatur. Iam ſolem lucere negauerit, qui *affirmatiuam* huius *Dubij* reſolutionem contrà apertiſſimam Conſtitutionis Alexandrinæ literam impugnauerit. Et re verà, vt Domini contrarij Defenſores quidquam obloqui poſſint, miſerè confugiunt ad commentitium Ordinariæ Epiſcopi iuriſdictionis ſuppoſitum; Sed cum iſtud meram Platonis ideam, meram fabulam, commentumque eſſe demonſtratum iam cumulatiſſimè fuerit, non eſt, cur tempus hac in re longiùs teramus. Illud dumtaxat addimus ſumi non poſſe exemplum à Socio Confeſſarij, de quo contrarius Reſtrictus loquitur, quippè quia Conſtitutio Alexandrina clariſſimè diſponit de Conuiſitatore, eiuſque electionem permittit Superiori Regulari, nihil

autem

Digitized by Google

autem diſponit de Socio Confeſſarij, qui proindè poteſt ab Epiſcopo deſtinari.

DVBIVM VII.

46 Admittimus, Superiores Regulares facere debere Viſitationem perſonalem Monialium ſibi ſubiectarum ad Crates iuxtà præſcriptum Conſtitutionis Alexandrinæ; Dicimus tamen, quòd, ſicùt in eadem Alexandrina non legitur dictio illa taxatiua = *tantum* = ità *Dubium* iſtud non poteſt ita generatim definiri; præſertim verò cum adeſſe poſſit impedimentum, cur Viſitatio perſonalis fieri nequeat ad Crates, proùt re ipſa oppoſitum in caſu noſtro fuit impedimentum à Reuerendiſſimo Epiſcopo Aduerſario, quo poſtmodùm inſtante, mirum ſanè videtur, diſputandum eſſe præſens Dubium; Quocircà reſpondendum videtur, *Viſitationem perſonalem Monialium faciendam eſſe ad Crates, niſi aliquod adſit impedimentum*.

DVBIVM VIII.

47 Hinc in caſus noſtri circumſtantijs reſcribendum videtur, Patrem Prouincialem ab Epiſcopo impeditum, ne Viſitationem faciat ad Crates, eandem facere poſſe ad Confeſſionale, vel alibi ex deductis in noſtro Reſtrictu §. 37.

DVBIVM IX.

48 *Satis prouiſum* ex deductis in duobus antecedentibus Dubijs, reſcribendum omnino eſt; Nam ſi Pater Prouincialis fuit iniuſtè à Reuerendiſſimo Epiſcopo impeditus, ne perſonalem Viſitationem faceret ad Crates, quonam colore, aut qua iuſta ratione ſuſtineri exaduerſo poterit, ipſum incidiſſe in pœnas à Conſtitutione Alexandrina præſcriptas? Fortiùs verò quia ab eadem Conſtitutione Alexandrina demandatur quidem, vt eiuſmodi Viſitatio fiat ad Crates, ſed nulla tamen, vt paulo ante diximus, adijcitur taxatiua, adeoque, concurrente aliquo impedimento, quiuis iuſtè credere potuiſſet, talem Viſitationem alibi etiam fieri poſſe, dummodo extra Clauſuram fieret.

DV-

Digitized by Google

49 *Affirmatiuè* reſpondendum vtique eſt, quia *Clementin. Attendentes de Stat. Monacor.* non excipit à Cenſuris etiam Epiſcopos, qui Superiores Regulares impediant à Viſitandis Monaſterijs Monialium ſuo ipſorum Ordini ſubiectarum, vti patet ex clariſſimis eiuſdem *Clementinæ* verbis exſcriptis in noſtro Reſtrictu §. 40. & 41.; Atqui Epiſcopus Lycienſis per ſuum Edictum impediuit Patrem Prouincialem à facienda tum Viſitatione perſonali ſuarum Monialium ad Crates, tum etiam Viſitatione locali, *vt in Summario noſtri Reſtrictus num. 5. 6. & 7.*; Ergo nihil proponitur, cur idem Epiſcopus Aduerſarius incidiſſe dicendus non ſit in pœnas Spirituales ab eadem *Clementina* præſcriptas.

50 Perperam autem exaduerſo regeritur ſolita cantilena, quod agatur de Monaſterijs ordinariæ Epiſcopi juriſdictioni ſubiectis, quodque ſaltem Pater Prouincialis juxta morem diutiſſimè ſeruatum petere debuerat ab Epiſcopo licentiam vel colloquendi ad Crates cum Monialibus, vel ingrediendi eorundem ſepta. Sed ad primum nulla opus eſt reſponſione, cùm diſcurſus iſte ſit de ſubiecto non ſupponente, idemque dicendum eſt de Secundo, quia nullum exaduerſo affertur, nec afferri poteſt exemplum, quo Superiores Regulares petierint ab Epiſcopo licentiam accedendi ad Crates, immo verò nec petita vnquam fuit licentia ingrediendi ſepta Monaſteriorum ad faciendam Viſitationem localem, ſed ſolummodo de hac vltima Viſitatione certior factus fuit Epiſcopus à Prioriſſis per Sacerdotes Clauſuræ Cuſtodes, vti benè probatur ex *Summario noſtri Reſtrictus num. 2. §. 4. & num. 3. & 4.*; Nec vllus vnquam P. Prouincialis ſibi ſomniauit adire Reuerendiſſimum Epiſcopum, vt licentiam ab eo peterent faciendi perſonalem, vel localem Monaſteriorum ſibi ſubiectorum Viſitationem, ſed ſolum, vt mutuum vrbanitatis officium cum Reuerendiſſimo Epiſcopo peragerent.

DVBIVM XI.

51 Pater Prior noſtri Conuentus Lycienſis non laborat de ſecunda huius *Dubij* parte, cum nec ipſe vnquam adiuerit Colloquutoria Noſtrorum Monaſteriorum, niſi ſic exigente exacta officij ſui adminiſtratione, nec credat Succeſſores ſuos illuc adituros, niſi in caſibus ſimilibus. Cœterum, quando id exiget muneris ſui ratio, accedere eò poterit ſine vlla prorſus Epiſcopi licentia, niſi loco ſuo moueantur fundamentales Ordinis noſtri le-

Digitized by Google

leges, compluresRomanorum Pontificum Sanctiones, compluresque Sac. Congregationum tum Concilij, tum Epiſcoporum, & Regularium reſolutiones juxta deducta in noſtro Reſtrictu §. 47., *& duob. ſeqq.*

52 Quæ quidem ſolidiſſima fundaměta ne tantillum quidem concuſſa remanent, ac labefactata vel ex ſuppoſita noſtrorum Monaſteriorum ſubiectione ordinariæ Epiſcoporum juriſdictioni, vel ex ſomniata vetuſtiſſima conſuetudine, vel ex decantatis abuſibus, quando hæc omnia ad ſatietatem vſque jam reiecimus, nec in facto vel minimum ſubſiſtere demonſtrauimus.

DVBIVM XII.

53 *Affirmatiuè* reſoluendum eſt *Dubium* iſtud juxtà neruosè firmata in noſtro Reſtrictu §. 50., *& ſeq.*, quibus quidem non obſtat deputatio Cuſtodum Clauſuræ ab Epiſcopo facta, quia non idcirco Superiores Regulares ſpoliati cenſendi ſunt cum alatiua illa juriſdictione, quam & ipſi habent inuigilandi ſuper clauſura ſuorum Monaſteriorum, immo verò ob idipſum neceſſarius quandoque fuit Superiorum Regularium acceſſus ad Crates noſtrorum Monaſteriorum, vt nempe corrigerent ipſoſmet Cuſtodes Clauſuræ, & interpellarent hilares, feſtiuoſque ſermones tum ad Crates, tum ad interiorem Clauſuræ Ianuam cum Monialibus animi gratia jam introductos, qua de re ijdem Cuſtodes interdum veriti non ſunt inſoleſcere aduerſus ipſos Superiores Regulares prout in *contrario Summario num.* 12.

DVBIVM XIII.

54 Fingit hic hoſtem, quem feriat Pars aduerſa, ac ſupponens Pat. Magiſtrum Scura Priorem Conuentus Lycienſis, & Vicarium noſtrorum Monaſteriorum excepiſſe ſine Epiſcopi licentia confeſſiones Monialium, exclamat ipſum peccaſſe contra Bullas Pontificias, contra plurimas, quas affert, Sac. huius Congregationis Concilij, nec non Congregationis Epiſcoporum, & Regularium definitiones, & contra conſtantiſſimam doctorum omnium Sententiam, Ius admittimus, ſed factum negamus. Hoc vt probent DD. contrarij Defenſores, complures exhibent Teſtes, qui antedictum Pat. Priorem viderunt ſedentem in Confeſſionario extraordinario, & cum Monialibus colloquentem, vt in *contrario Summario num.* 8.

55 At verò quodnam probationis genus eſt iſtud? Examinandi non erant Teſtes de viſu, ſed ipſæmet Moniales, vt reſciri veritas poſſet, num ſcilicet eædem Moniales ſuam vnquam Sacramentalem

talem

Digitized by Google

talem confeſſionem feciſſent cum Pat. Magiſtro Scura, Sed quod omiſit Curia Eccleſiaſtica Lycienſis, fecit Pat. Prouincialis in Sancta Viſitatione; Interrogauit enim hac de re Moniales omnes promptus ad infligendam Pat. Magiſtro Scura debitam pęnam, ſi noxium comperiſſet. At per hanc rationem detecta fuit antedicti Pat. Magiſtri innocentia, & comprobata calumnioſa contrariorum Teſtium animoſitas pręſenti *Summ. n. 10.*

D V B I V M XIV.

56 P Prouincialem, & Vicarium noſtrorum Monaſteriorum poſſe in Confeſſionario ordinario, vel extraordinario exhortari, & audire Moniales iam ſolidè probauimus in noſtro *Reſtrictu* §. 55., *& duob. ſeqq.*. Nullumque faceſſunt negocium exaduerſo deducta tam in hoc *Dubio*, quàm in *Dubio VIII.*, ad quod ſe pariter refert contrarius Reſtrictus, quippe quæ locum obtinent quoad alios Religioſos, qui ſuperiores non ſint, vel quoad Feneſtrellam SSmæ Communionis. Cęterùm colloquutiones de rebus Spiritualibus, exhortationes, correctioneſque fieri in confeſſionario nulla lex prohibet, ſed immo valde congruum eſt, & in noſtris præſertim Monaſterijs fermè neceſſarium ob anguſtiam collocutoriorum. At Epiſcopus ſuperiores Regulares arcere à Cratibus, arcere ab Eccleſia vellet, vt totam ſibi ſuperioritatem arrogaret.

D V B I V M XV.

57 Nec his contentus idem Reuerendiſſimus Epiſcopus eoſdem Superiores Regulares arcere vellet etiam ab Atrio Clauſurę, quod omnibus cuiuſcumque vilis conditionis perſonis liberè patet, eoſdemque vel Sacris veſtibus indutos vellet conſiſtere in via publica ante Ianua Clauſurę exterioris iuxta pręſens *Dubium*. Sed id vtique non feret, non patietur, non ſuſtinebit iuſtitia Emorum Patrum.

58 Deſinatque idem Reuerendiſſimus Epiſcopus quaſi triumphum canere ob concordatum hac ſuper re à Pat. Prouinciali Benedicto Miano inter epulas extortum; Illud enim ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & à quouis ſano homine conculcetur, quum factum id fuerit priuata vnius tantum Religioſi voluntate, ſine vlla prorſus ſcientia Conuentus Lycienſis, ſine vllo conſilio Patrum Prouincię, & quod magis eſt, ſine vllo penitùs Reuerendiſſimi Pat. Generalis approbatione, quam tamen cum acceſſiſſe gratis ſupponatur in Relatione

K

Re-

Reuerendiſſimi Epiſcopi §. *Quod continet*, data in contrario *Summ. num.* 14., idcirco exhibere cogimur exemplum authenticum eiuſdem concordati de verbo ad verbum, nihilo penitus omiſſo, fideliter extractum, vt in pręſenti *Summ. n.* 17.

59 Temperamentum autem propoſitum in contrario *Reſtrictu* §.63. non ſeruatur ab ipſomet Reuerendiſſimo Aduerſario in Monaſterijs ordinarię ſuę iuriſdictioni ſubiectis, nec Romę receptum eſt, nec in alijs ferè omnibus Chriſtiani Orbis partibus.

DVBIVM XVI.

60 Hoc quoque *Dubium* reſoluendum eſt fauore Superioris Regularis, contempta penitus contraria illa animaduerſione, quod nempe Puellę tam educandę, quàm Ancillę nulla debeant inaugurari benedictione. Neque enim, vt Superior Regularis Atrium clauſurę ingredi queat abſque licentia Epiſcopi, opus eſt, vt benedictionem impertire alicui debeat, ſed ſatis eſt, vt aliquas officij ſui partes, vti Superior, explere neceſſe habeat. Reminiſci namque Reuerendiſſimus Aduerſarius debet, quod hęc ſunt Monaſteria non *tam de iure, quàm ex antiqua conſuetudine, & ex immemorabili obſeruantia ad omnimodam curam, regimen, gubernium, & adminiſtrationem Patrum Prædicatorum pertinentia*, quodque Epiſcopus Lycienſis iure tantum delegato inuigilare poteſt, ac debet in obſeruantiam clauſurę eorundem Monaſteriorum non autem perturbare poteſt Superiores Regulares in exercitio ſuę natiuę, & ordinarię iuriſdictionis ſuper ijſdem Monaſterijs.

DVBIVM XVII.

61 Quemadmodum ex ante deductis indubitatum eſt, quod Superior Regularis habet omnimodam auctoritatem, ac iuriſdictionam tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus in hęc duo Monaſteria ſibi ſubiecta, ita idem Superior poteſt, ac debet citra vllam Epiſcopi licentiam intereſſe Computorum reuiſioni, quę ſingulis menſibus expletur ad crates Monaſterij; Hoc enim eſt ius directè ipſi competens, & obligatio eidem infixa ex fundamentalibus Ordinis Conſtitutionibus, ex Bulla, ſiue edicto Clementis VIII., ex Conſtitutione Gregorij XV. *Inſcrutabili*, tandemque ex decretis Sacrarum Congregationum, vti latè perſecuti fuimus in noſtro *Reſtrictu* §. 65., *& ſeqq.*

62 Non obſtat Concordia anno 1702. inita; hęcquippè reſpicit

dunta-

Digitized by Google

duntaxat modum, regulamque in electione Procuratoris, ſiue Factoris ſeruandam, nihilque ſtatuit circa redditionem rationis, computorumque reuiſionem, in quibus proinde integra remanſit, & intacta Superioris Regularis iuriſdictio, qui ſi in perluſtrandis rationibus compererit, Procuratorem minùs rectè, minùſque fideliter ſe ſe geſſiſſe in adminiſtratione, poterit apud Reuerendiſſimum Epiſcopum inſtare pro illius remotione, proût re ipſa poſt memoratam Concordiam Superior Regularis ſemper intereſſe perrexit computorum recitationi, quæ apud Crates Monaſteriorum ſingulis menſibus habita fuit.

63 Non ſubſiſtit autem, quod rationes geſtæ adminiſtrationis commodiùs expendi queant in proprijs Superioris Ædibus, idque ſatis ſit, vt ſemel in anno fiat, proût in contrario *Reſtrictu* §.73. Nam ſi computa recitari debent coram Monialibus, vt probauimus in noſtro *Reſtrictu* §.65. *& ſeqq.*, ſi Moniales accedere nequeunt ad Ædes Religioſi Superioris, neceſſe eſt, vt iſte ad Crates Monaſterij accedat. Ex eo autem, quod ratio adminiſtrationis ſingulis ſaltem annis reddenda ſit, id quidem non excludit, quominùs frequentiùs fieri poſſit, proût ita fieri debere ſtatuerunt Conſtitutiones Ordinis, & Edictum Clementis VIII. relatum in noſtro *Reſtrictu* §.70. Et iure quidem, meritòque; Nam quanto frequentior eſt computorum reuiſio, tanto fideliùs, accuratiùſque rationes redduntur, cum ob recentem rerum memoriam faciliùs ſciri queat, num expenſi, acceptique rationes rectè conueniant, fideliterque in tabulas referantur.

64 Quæ verò dicuntur de *cap.*27. noſtrarum Conſtitutionum, vlteriori non indigent reſponſione, cum iam cumulatè ſatisfecerit noſter *Reſtrictus* §.73.

DVBIVM XVIII.

65 Conſtitutio, ſiue Edictum Clementis VIII., Decreta Sacrarum Congregationum, ordinationeſque Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum exigunt, vt ſuperior Regularis Monaſteriorum interſit Contractibus, qui à Monialibus celebrantur, vti latè probauimus in noſtro Reſtrictu §.74 *& ſeqq.* Quibus equidem non aduerſatur, quod, quum etiam Epiſcopus auctoritatem habeat in his, quæ ad æconomicam Bonorum Adminiſtrationem pertinent, hinc quoties in contractibus interuenit Epiſcopi approbatio, toties inutilis ſit præſentia, atque intereſſentia Superioris Regularis.

66 Quandoquidem auctoritas, quam Epiſcopus habet, quamque exercet in concernentibus æconomicam adminiſtrationem, haud

haud prouenit ex omnimoda, abſolutaque ordinaria iuriſdictione, quam ipſe perperam ſibi aſſerit in hiſce Monaſteriis, ſed ſolum ex Iuriſdictione delegata ei tributa per conſtitutionem Gregorianam *Inſcrutabili*; Nihil autem certius, nihil peruulgatius eſt, quàm quod iuriſdictio delegata Epiſcopo tributa in Monaſteriis exemptis, haud quaquam derogat Iuriſdictioni ordinariæ Superioris Regularis, ſed cum illo cumulatiuè conceſſa intelligitur, vti communiter tradunt *Fagnan. in Cap. Graue num.37. de Offic. Ordinar.*, *Lezan. Oper. Regulantem.4. conſult.4. num.37., & 38.*, *Barboſ. ad Sac. Concil. Trident. ſeſſ.25. de Regular. cap.11. num.25.*, *Gratian. diſc.154. num.40. clar. mem. Card. de Luc. de Iuriſdict. diſc.4. num.4.*, *Panimoll. deciſ.84. annot.1. num.22.*, *& Rot. in Bargen. Iuriſdictionis, ſeu Viſitationis 3. Iulii* 1713. §. *Conſtabilito rerum bon. mem. Carbadic.*

67 Tantoque magis, quod hac ex parte concurrit etiam obſeruantia. Neque enim ſubſiſtit, quod contractus celebrati fuerint à Procuratoribus Monaſteriorum præuia tantùm licentia Epiſcopi, & independenter à Superiore Regulari, vt perperam exaduerſo ſupponitur, ſed immo in facto compertum eſt, ſingulos contractus ſemper, & ad ſemper in Collocutorio Monialium fuiſſe celebratos, præſente, atque aſſiſtente Patre Vicario Monaſterij, aut eius vice Confeſſario eiuſdem Monaſterii, vt in *Summario noſtri Reſtrictus num.2. litt.B. C.*, & *in Summ. præſenti num.4.*, & 5.

68 Malè autem contrarius Reſtrictus §. 77. inſinuat expedire, vt contractus celebrentur extra Monaſterium per Procuratores Monialium; Nam conſuetudo antiquiſſima Ciuitatis Lycienſis id prudenter, ac rationabiliter id moris inuexit, vt contractus omnes celebrentur coram Partibus contrahentibus. Cæterùm id ad præſentem quæſtionem non attinet; Siue enim Contractus apud Monaſterii Crates, ſiue extra illud, ſiue à Monialibus, ſiue ab earum Procuratore celebrentur, prohiberi non debet Superior Regularis, quominus ipſis interſit ad tramites tum Conſtitutionis Clementiæ, tum Decretorum Sac. Congregationis, tum etiam Ordinationum Capitulorum Generalium.

D V B I V M XIX.

69 Domini exaduerſo Scribentes quoad hoc poſtremum *Dubium* nihil aliud opponunt, niſi quod munia Religioſa non aliter obtineri poſſunt, quàm per electionem canonicam, aut per collationem factam ab habente poteſtatem conferendi. Atque

tum

Digitized by Google

tum ex decretis Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, tum etiam ex definitione Capituli Generalis expreſsè ſancitum eſt, vt abſente Superiore Monaſterij, confeſſarius Officium Vicarij exerceat; Ergo Nobiſcum fateatur Pars aduerſa neceſſe eſt, quod, in abſentia Superioris noſtrorum Monaſteriorum, Vicaria illius poteſtas legitimè pertineat ad Confeſſarium, niſi impugnare velint, & Sedis Apoſtolicæ, & Capituli Generalis poteſtatem circa ius conferendi huiuſmodi officium, ſeu veriùs deſtinandi ſubſtitutum interinum, qui Superioris vices adimpleat.

Quare &c.

Victorius de Martinis Aduoc.
Nicolaus de Pelagallus.

VA1 1517571

Digitized by Google